



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De  
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, MDXXXIV.**

**VD18 90392167**

Q. 3. An Sacerdotes tenentur aliquando celebrare?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41032**

corum, & Excommunicatorum, modò non nominentur in Orationibus.

Q. 3. *An Sacerdotes tenentur aliquando celebrare?*

Resp. Omnes tenentur jure divino sub mortali. Prob. 1. ex Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* quibus verbis, ut Trident. sess. 23. c. 1. testatur, Christus Apostolis eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit. 2. Quia Sacerdotes omnes in sua ordinatione accipiunt non solum potestatem, sed etiam munus & Officium Sacrificandi per se illi annexum, ex illo Heb. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ius, quæ sunt ad Deum, ut offerat Sacrificia.* At quisque munus susceptum exequi tenetur graviter in re gravi, ut in hac, & uti potestate sibi concessâ in honorem Dei & utilitatem proximi; ut patet ex damnatione servi inutilis ob talentum absconditum, Matth. 25. Quare S. Thom. 3. p. 4. 82. a. 10. ait, quòd Sacerdos etiamsi curam animarum non habeat, *celebrare teneatur in præcipuis Festis.*

Tenantur etiam jure Ecclesiastico: nam Conc. Later. 4. c. *dolentes.* de celebrat. inter peccata Sacerdotum recenset, quòd vix quater in anno celebrent, & addit: *Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis inhibemus.* & Trid. sess. 23. c. 14. sic statuit circa quoslibet Sacerdotes:

dotes: Curet Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus; si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent. In Ecclesiis verò Cathedralibus, Collegialibus, & Conventualibus quotidie celebrari Missa debet sub mortali saltem ab aliquo, præsertim ex usu Ecclesiæ vim legis habente, vel etiam ex fundatione.

Q. 4. Quando, quoties, ubi, & quâ horâ celebrare licet?

Resp. I. Quolibet die celebrare licet, exceptâ feriâ. 6. Majoris hebdomadæ, Feriâ verò 5. & Sabbato ejusdem Missa privata dici non potest, sed unica publica seu solemnis in singulis Ecclesiis. Ita praxis Ecclesiæ decretis Pontificum firmata.

Resp. II. Non licet nunc plures Missas eodem die dicere, præterquam in Natali Domini, & in casu necessitatis cum licentia Episcopi, dum idem Sacerdos duas habet Parochias, ex c. 3. de celebrat. & ex consuetudine vim legis habente.

Resp. III. Secluso privilegio non licet sub mortali, ob materiæ gravitatem, celebrare nisi in loco consecrato, vel auctoritate Episcopi Benedicto, vel in Oratorio ad divinum tantum cultum dedicato, & per Episcopum designato. ex Trident. sess. 22. & c. 12. de consecr. dist. 1. idque confert ad reverentiam tanto Mysterio debitam, & ad fidelium devotionem

nem